



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXIII. De Majoritate & Obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

tem sibi non competere scit, & nihilominus usurpat: qui ob bonæ fidei, ad omnem præscriptionem necessariæ, c. *fin. de Prescript.* defectum, utique non præscribit. Secus eveniret, si Jurisdictionis & Imperii, uti & carceris usus bonæ fide & legitimo tempore, hoc est, quadraginta annis cum titulo vel tempore immemoriali, c. 1. *de Prescript. in 6.* imò secundum aliquos quadraginta annis, etiam sine titulo continuaretur. Qua de re *Lib. 2. Tit. 26. art. 6.* sermo redibit.

24. Officium iudicis & jurisdictio Ordinaria, quæ Vicaria non est, in perso-

na finitur ipsius morte, renuntiatione ab eo, ad quem spectat, acceptatâ, c. *Denique 6. q. 3.* depositione ab officio, five istius privatione & transiitione, Holtienf. *in Summa de Offic. Ord. n. 3.* Non Vicaria, in quâ, & *In persona.* Prius quia Vicariæ, uti etiam Delegatæ, aliam rationem & finem esse, patet ex *offic. Tit. 28. n. 50.* & *Tit. 29. à n. 71.* Posteriorius; quia, si inhæreat magistratui, dignitati, officio, personæ mortuæ, renuntiantem, depositâ &c. non finitur: sed cum Magistratu &c. transit ad ipsius successorem.



TITVLVS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

SUprâ relatorum Iudicum & aliarum personarum Ecclesiasticarum non omnes pares; sed, sicut Beatorum Spirituum in Triumphan- te, *can. fin. dist. 89.* sic & in Militante Ecclesia Clericorum aliarumque personarum Ecclesiasticarum varii Ordines & gradus, & horum alii majores sunt, alii minores: & alii quidem sollicitudinem & dilectionem, tanquam subditis: alii verò reverentiam & obedientiam, tanquam majoribus debent. Ex qua causa, paucis discutimus.

ARTICVLVS I.

De Majoritate, competente ratione Ordinis & Antiquitatis.

SUMMARIUM.

1. Major quis altero est Ratione Ordinis,
2. *Præsertim à Papa accepti:*
3. *À quo ordinatum dependere eum & pifcopus potest.*
4. *Antiquitatis in curia & castrii,*
5. *In Academiis & Gymnasiis,*
6. *In Religiosis Ordinibus,*
7. *Et in Ecclesiis ratio habetur.*
8. *In his, prius possidens, ante prius præferetur:*
9. *Si ipsum non colligant,*
10. *Sed alius à possessione capenda impeditur.*
11. *In possessione unâ horâ prior præfertur.*
12. *Canonici recuperati non simul recuperantur pristinus locus:*
13. *Neg.*

13. *Nisi ille non plenè fuisset amissus.*

MAjor quis alterò ex variis & quinque potissimum causis esse potest.

1. Primò quidem ratione Ordinis: quò modò Episcopus Presbyterò: iste Diaconò: Diaconus Subdiaconò: iste in minoribus Ordinibus constitutò, & demum Clericus quicunque laicò, etiam Monachò, est major, *can. A Subdiaconatu 5. can. Non oportet 14. Et. dist. 93. Et c. 1. hic*; adeò; ut, cæteris paribus, qui superiorem Ordinem prius consecutus est, Jure præferatur aliis, eundem ordinem post ipsum consecutus: licet isti ad clericatum per primam Tonfuram, aut etiam Ordines minores, ante ipsum assumpti, vel in Ecclesia fuerint recepti, *c. Statuimus 15.* Ratio est; quia prærogativa Ordinis dignior est eà, quæ oritur ex temporis antiquitate, Vivianus *in c. cit. Et ibi Barbola n. 1. Et 2.* Ejus tamen textùs dispositioni Consuetudine derogatum videtur in multis Ecclesiis: in quibus, prior tempore, potior etiam Jure censetur, secundum *Reg. Qui prior 54. in 6.* & propterea in Canonicum prius receptus, in capitulo & choro, & ipsa præbendarum affectatione alios, nullà habità superioris Ordinis ratione, antecedit. Quam Consuetudinem, licet tanquam Ecclesiæ honestati contrariam, damnet Panorm. *in c. cit. pr.* alii tamen cum Felino *in c. cit. n. 1.* defendunt *arg. c. fin. de Consuet. in 6.* ubi, vacantes præbendas optandi jus antiquioribus Canonicis tribuens Consuetudo, nullà sacræ Ordinationis habità ratione, approbatur.

2. Secundò, ex pluribus ejusdem Ordinis Clericis, cæteris paribus, etiam in concursu & collatione beneficiorum præferendus est, qui eum Ordinis gradum à summo Pontifice est consecutus, *c. Per*

tuas 7. ubi Glossa *V. Subdiaconatus & Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 3. proam. n. 116.* Non quidem; quòd per Sacramentalem Ordinationem ab isto plus, quàm alii ab inferioribus Ordinatis consequatur, contra textum *can. Cum tantum 47. dist. 4. de Consec. sed*; ut summi Pontificis, eum suà Ordinatione dignum judicantis, testimonio deferatur: & in ordinato super humanas omnes excellenti ordinantis dignitati honor & reverentia exhibeatur. Ob quam causam ab isto Ordine aliquò initiatus ad altiore sine ejus licentia ab alio nequit promoveri, *c. Cum in distribuendis 12. de Temp. Ordinar.*

Non desunt DD. qui, à Papa ordinatum propter crimen commissum ab Ordinis officio suspendi & deponi ab Episcopo posse, negent cum Glossa *in c. Per tuas cit. V. Subdiaconatus*; partim *arg. istius c. Et c. Cum in distribuendis cit. partim*; quòd regulariter, quem quis non potest ordinare, etiam nequeat judicare, *can. Nullus Primas 9. q. 2. Et c. Nullus 3. de Paroch.* Sed melius, perinde ut alios, sic etiam à Papa ordinatos clericos dicecesanos suspendi & deponi ab Episcopo posse, *in c. Per tuas cit.* cum Panormit. *n. 2.* & Felino *n. 1.* defendit Laiman *in fine*; quòd Papali ordinatione ab Ordinarii sui jurisdictione nullo Jure eximantur: & propterea iste in eos perinde, ut in cæteros clericos delinquentes procedere: & sicut hos, sic etiam ipsos à beneficio & ipso etiam, tam Ordinis à Papa collati quàm administrationis & jurisdictionis officio, suspendere ac deponere possit: sicut Papali provisione vel institutione beneficia consecuti eà, quam commissi criminis gravitas exigit, etiam suspensionis à beneficio, imò omnimodæ privationis poenà plecti ab ipso possunt.

Neque

Neque contrarium persuadent pro eo allegati textus; quia aliteris Ordinis Papæ, qui inferiorem contulit, à Jure facta reservatio, hõc ipsõ; quõd potestati Ordinariæ deroget, ad alios Jure non expressos casus, non est extendenda.

Neque etiam ratio; quia Episcopus eum, licet ordinare per accidens ob honorem & reverentiam Papæ nequeat, ordinare tamen per se potuisset; cum sit ipsius subditus dioecesanus: & talis esse non desinat per ordinationem Papæ. Unde *can. & c. Nullus cit.* traditæ doctrinæ & quasi Regulæ locus non est casu, quõ Ordines, ab alio per accidens collati, de Jure conferri ab alio potuissent; & per ejusmodi ordinationem non subtrahuntur jurisdictioni Ordinarii sui, sicut à Papa ordinatum à proprii sui Episcopi jurisdictione non eximi, præter alios docet Cochier *p. 1. de Jurisd. Ord. in Exempt. q. 21. n. 3.*

4. Tertiõ, ratione Antiquitatis sive prioritatis, cæteris paribus, in sessione & processionibus, in voce sive suffragio, in subscriptione & sigilli appositione & aliis ejusmodi prærogativis præfertur, qui tempore est prior, ut ex communi aliorum sensu, *inc. 1.* notant Hostiensis *n. 5.* Panormit. *n. 2.* Fagnanus *n. 7.* & Magister usus docet; sic enim jam olim, in Senatum prius cooptati, potiorem gradum obtinuerunt in actibus publicis & privatis, & inter ipsos Consules ille major habebatur apud Romanos, qui prius Consulatum in Urbe obtinuisset, ut Tullio & Tacito allegatis, tradit Gonzalez *in c. 1. cit. n. 6.* sic in castris, qui prius militare caperunt, aut gradum aliquem sunt affecti, aliis præferebantur, Panormit. *in c. cit. n. 3.*

5. In Literarum quoque Gymnasiis & Academiis plures ejusdem Facultatis seu

Collegii Professores, nisi ratione Prærogativæ sive honoratoris lectionis specialis prærogativæ aliquis gaudet, locum sibi vendicant, prout quisque ante vel post alios ad Cathedram evedus, Lainan *in c. 1. cit.* aut lauream est consecutus; & ejusdem status sive qualitatis Studiosi illustres eõ, quõ in Album sive, ut vocamus, Matriculam relati sunt, ordine alios sequuntur vel antecedunt, ut docet praxis quotidiana. Cui non advenfatur; quõd in Literariæ Universitatis Matriculam ante alios relati, honoratorem locum etiam occupent in cæteris sordalitatibus Marianis, quantumvis in stellarum Album & Sodalium numerum post alios referantur; quia ejusmodi cæterus, uti etiam Linguarum & exercitorum Equestrium & similes Scholæ ætatorie sunt Academiis & Gymnasiis; & propterea, qui in his, etiam in illis alios antecedit, *arg. Reg. Accessorum q. in 6.*

Simili modõ, licet, sicut cæteri Sordales Regularibus, sic etiam Monachi & Canonici Regulares Mendicantes in processionibus publicis (speciali jure & propria alicujus Ordinis festinate conclusis) præferantur, Barbosa *Jur. Eccl. lib. 1. cap. 43. n. 161.* ex Monachorum tamen & Canonicorum Regularium, atque ipsi etiam Mendicantium Ordines (particularium monasteriorum vel Congregationum privilegiis & locorum consuetudinibus seclusis) ferè, qui institutionis & approbationis antiquitate, etiam præcedentiæ prærogativæ aliis sunt potiores, Boerius *de Ord. Grad. p. 1. n. 26.* & Tamburinus *Tom. 1. de Jur. Abbat. disp. 25. q. 1. n. 12.* Et ex pluribus ejusdem Ordinis Religiosorum familiis in eadem civitate existentibus, cujus fundatio sive introductio antiquior est, postea erecta monasteria & introductos Religiosos

ligiosos antecedit, *citr. Barbosa cap. 43. n. 192.* & Tamburin. *n. 12.*

In particularibus etiam Regularium Conventibus & Congregationibus ferè aliis anteponuntur Patres aut Fratres, qui antiquiores sunt Professione, *arg. c. 1. quod à Rota decisum, refert Fagnanus in c. cit. n. 8.*

7. Demum, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, qui in receptione & apprehendenda possessione alios prævenit, in stallo, voce, optione & cæteris ejusmodi juribus ac prærogativis præcedit, Laiman *l. cit.* & alii id defuentes ex *c. cit. & Reg. Qui prior 54. in 6. ex l. 1. ff. de Albo scrib. l. unicuique 7. l. Comparimus 13. C. De prox. Sacr. scrib. & l. fin. C. de Privileg. eorum, qui in palat.* Idem suadet ratio; quia honor major in Republica & Ecclesia, cæteris paribus, debetur iis, qui plus meriti sunt, *l. Nemo 2. in fine C. de Offic. Magistr. Offic. & sapientiores sunt ac peritiores: plus autem meriti, qui in Reipublica & Ecclesia obsequiis diutius perstitierunt, can. Miramur 4. in fine dist. 61. & sapientiores peritioresque esse præsumuntur, qui sunt antiquiores; quia sapientia rerumque peritia per experientiam, & ista per usum diuturnum comparatur: & propterea plus umbra fenis quam ensis & eloquentia juvenis posse, à Baldo *in c. 1. de Renunciat. n. 1.* & antiquius dicitur non solum, quod vetustius, sed etiam quod potius, venerabilius & melius est, ut eruditè Tiraquellus *de Primogen. præfat. n. 86.* Ubi*

8. Dubium & non ita pridem magnâ partium contentione agitata controversia est, uter alteri præferendus sit ex duobus *vg. Canonis aut Senatoribus, quorum unus in provisione, alter in possessione est prior, vg. cum priori super provisione mota est litis: & istâ corâ iudice pen-*

dente, in Ecclesia vacantis sibi que collati canonicatus possessionem alius, & demum, lite finitâ, eam caput, qui primò est provivus. Priorem in possessione alteri præferendum, si, qui ante eum provivus est, in literis præsentandis & apprehendenda possessione negligens fuit, non facillè erit, qui inficias eat.

An etiam, quando ejus culpa vel negligentia non intervenit, sed à possessione capiendâ ab alio prohibitus fuit, dubitandi ratio est partim; quòd plenum jus in re tribuat collatio, *c. fin. de Concess. Prab. Jalon. in l. Quoties 15. C. de R. V. n. 3.* & possessionis adeptio, quantumvis post alium facta, ad id, quò fieri debuit, ac proinde, facta posteriori, ad anterius tempus retrahatur; partim verò; quòd tritò Juris Axiomate pro facto habeatur, quòd fieri debebat: si per eum, à quo fieri debuit, non stetit, quò minus factum fuerit: sive, ut alii loquuntur, factum & faciendum tali casu paria reputentur, *arg. l. Filiusfamilias 43. ff. de Testam. milit. & prioritas currere incipiat à die, quò quis admitti debuisset, si quò minus admitteretur, per eum non stetit, secundum decis. Rotæ, canonicû, cui à Capitulo denegata possessio fuit, quoad prærogativas & alia canonicorû emolumenta pro admisso non semel habentis, apud Barb. *citr. cap. 18. n. 13.* Quib⁹ rationibus & Rotæ præsertim decisionibus permotus Rochus de Curte *in c. fin. de Consuet. f. 4. n. 11.* priorem in provisione absolutè præfert, quoties per eum non stetit, quò minus possessionè prius inchoaret.*

Sed melius propositam dubitationem alii resolvunt auxiliò distinctionis inter duos casus. Unum scilicet, quò prius provivus à possessionis apprehensione ab adversario sive colligante: alterû verò, quò is ab aliquo tertio fuit impeditus: & licet priori casu prius provivus col-

T t t

sum col-

sum colliganti, quoad provisionem posteriori, sed quoad possessionem priori, praeferant, propter allatas rationes, & ne iste ex sua iniquitate commodum consequatur, contra textum *c. Sedes 19. de Rescript. § 1. In fundo 38. ff. de R. V.*

10. posteriori tamen, sive eò casu, quò, ne possessionem antè caperet, non postea provifus, sed à tertio aliquo mota lis vel aliud impedimentum obstitit, priorem in possessione, quoad sedem, vocem, optionem & similes praeogativas alteri praeferendum, multò frequentiori calculo docent & pluribus Rotæ decif. allegatis firmant Gonzalez in Reg. 8. Proom. §. 3. n. 23. & Barbosa de Canon. & Dignit. cap. 18. n. 12. quibus plurimarum Ecclesiarum & Collegiorum praxis, & ratio etiam suffragatur; quia imprimis, prior in possessione, Ecclesiae prius servire, ejusque munera & onera subire capit; in servitio autem & oneribus lubendis alios praevientem praè aliis convenit honorari, l. Nemo & can. Miramur citr. Deinde; quia prior sedes & similes praeogativae sunt fructus & comoda possessionis, Glossa in *c. Cum olim 14. V. Capitulo hic & Selva de Benef. p. 3. q. 40. n. 4.* fructus autem rei pertinent ad bonae fidei possessorem, l. Bone 48. ff. de Acquir. rer. domin. & c. Consultationibus 19. de Jure patronat. Et demum; quòd, licet collatio tribuat jus in re sive titulum beneficii, plena tamen ejus affectio sine possessione & fructuum perceptione non habeatur; & propterea ista carens Ventosum duntaxat seu fictum, & non propriè dictum beneficium habere dicatur, Gomez in Reg. de Annali poss. q. 17. n. 3. & 4.

Quare corrui in contrarium allata ratio prior: quae allegata possessionis retrotractio locum duntaxat habet casu, quò prius provifus à possessione factò ad-

versarii impeditur, per tradita à Felino in *c. Cum causam 7. de Test. & Anst. n. 16. & cit. Gomez q. 14.*

Neque majorem vim habet altera; quia faciendum pro facto, & à possessione impeditus pro possessore habetur solummodo in praedictum illius; qui, ne, quòd debebat, fieret, possessioni capiendae posuit impedimentum, cit. Gonzalez Gloss. 27. n. 46. & Barbosa n. 10. eamque ob causam isti allegatà Rotæ decifione quoad praeogativas & comoda capitularia pro admisso & Capitulari habendum, meritò censentum, cui canonicatus possessio à Capitulo iniquè & denegata.

Haecenus pro antiquiori possessione tradita locum habeat Primò, quantumvis in possessione capiendae uno tantum die, hora vel momento praecessisse, Felinus & Decius in *c. Pastoralis 14. p. de Rescript. n. 5. & Gonzalez cit. Gloss. 3. à n. 44.*

Secundò, in canonico, qui post canonicatus plenam adeptionem ejus & jurium Collegialium quasi possessione privatus est v.g. ob crimen; nam etiam huic, si ex gratia & per viam novae collationis restituatur, non pristinus usus, sed novissimus locus debetur; in iis tantum praefertur, qui post ejus institutionem in Collegium sunt recepti, c. Ex insinuatione 26. de Simonia, cit. Felinus n. 4. & Barbosa n. 2.

Tertiò, in Canonico, qui summo resignavit, & alium canonicatum in alia, imò etiam in eadem Ecclesia obtinuit; nam etiam huic postremus in alia, ad quam transiit: & in eadem Ecclesia non dimissi, sed de novo obtenti, locus debetur, arg. c. cit. ubi Glossa 7. Prima, Barbosa cit. cap. 18. n. 16.

Aliter res se habet cum eo, qui canonicatum permutat, si permutatio sit

festum non fortiaur; huic enim ad suam canonicatum redeunt pristinus locus debetur; quia illum non dimisit absolute, sed sub alterius obtinendi conditione; quâ proinde deficiente, cum illum per conditionem causâ datâ causâ non secutâ repetit, *c. Cum Univerforum 8. de Rer. permut. pristinus & non novus Canonicus censetur: quod à S. Congreg. decisum, testis est Barbosa n. 17.*

ARTICULUS II.

De eadem competente ratione Privilegii & Dignitatis.

SUMMARIUM.

14. Ex privilegio aliquando quis alios antecedit.
15. Ratione Dignitatis omnibus major est Papa:
16. Cui proximi sunt S. R. E. Cardinales:
17. Ex quibus Episcopi Presbyteros,
18. Et hi Diaconos antecedunt.
19. Eos sequuntur Patriarcha & Primates,
20. Archi- & Episcopi,
21. Abbates & Ordinum Generales,
22. De precedentia Curialium Papa:
23. Inter Canonicos, Cathedrales Abbates & Vicarium generalem:
24. Inter hunc & Canonicos Sede vacante:
25. Inter eundem & Abbates:
26. Hos & Protonotarios Apostolicos:
27. Inter Canonicos & ceteros Clericos.
28. Lites de precedentia in Processionibus extrajudicialiter componit,
29. Et in judicio Petitorio definit Episcopus.

30. In Possessorio aliquando ipse,
31. Aliquando competens iudex etiam laicus est:
32. Qui etiam cognoscit de precedentia ex jure merè temporali.
33. Obedientia tria exigit,
34. Et debetur majoribus ratione Jurisdictionis.

Quartò, ratione Privilegii in Ecclesia etiam aliis major habetur, cujus personam vel dignitatem summus Pontifex aliis vult anteferri: quomodo inter Patriarchas, post Romanum cæterorum Principem, Constantinopolitanus, quantumvis Antiquitate sive Origine Antiochenò & Alexandrinò posterior sit, primum locum obtinet, *can. Renovantes 6. can. seq. dist. 22. & c. Antiqua 23. de Privileg. ob honorem in ea Urbe collocatæ Regiæ Imperatorum Orientis: quæ propterea etiam Novæ Romæ appellatione fuit condecorata, can. Constantinopolitana 3. dist. cit. & Novell. 70. cap. 1. Tholosan. Synagmat. lib. 15. cap. 5. n. 7.*

Quintò, ratione Dignitatis, Jurisdictionis & Administrationis: cujus ratione in Orbe Christiano toto cæteras Ecclesiasticas, ac proinde etiam Seculares potestates, & ipsum etiam Imperatorem, summus Pontifex antecedit, *c. Solita 6. ubi Papa & Imperator magnis duobus Luminaribus, inter cœli fidéra principatum obtinentibus, comparantur: & ille Luminare majus, iste Luminare minus nominantur; quòd, sicut sol tanquam Luminare majus, lunam tanquam Luminare minus, splendore Majestatisque, sic ex duabus Dignitatibus, quibus mundus regitur, *can. Duo 10. dist. 96. sacra & Pontificalis potestate & autoritate Imperialem superet ac Regalem, ut in c. cit. notat Gonzalez n. 8.**

T t t a in fine;

in fine; cum, quoties Ecclesiastica & Secularis concurrunt, huic illa præferatur, *can. Quis dubitet 9. dist. cit. c. Illud 5. hic* & disertè anteponatur *Extravag. Umic. Joan. XXII. §. Nos volentes ibi, Episcopali vel Regia dignitate &c. Ne se de vacante & Auth. Habita ibi, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Procerum &c. C. Ne filius pro patre, Boërius de Ord. Grad. p. 1. n. 10.*

16. Primum à suprema hac dignitate locum in Ecclesia olim Ordinis Episcopalis Prælati omnes: hodie, & jam à Bonifacii VIII. aut Clementis V. temporibus, obtinent S. R. E. Cardinales, juxta dicta *Tit. 31. n. 26.* ad quem ipsos attollendi ratio fuit; quòd, licet Cardinales Presbyteri ac Diaconi Episcopis inferiores sint Ordine, superiores tamen iis sint officio ac potestate; cum Romanum Pontificè, Christi in terris Vicarium, eligendi speciali gaudeant prærogativâ: eique electo, non ut illi, in particulari aliqua Ecclesia, vel Provincia, sed Christiano Orbe toto gubernando, tanquam supremi Senatores, consilio & auxilio assistant; ut, cujus iste caput est corporis, ipsi membra sint, *can. Si quis 22. pr. 6. q. 1. & ex qua iste desumptus est, l. Quisquis 5. pr. C. ad L. Jul. Majest.* ejusque in Sacerdotalis officii executione Coadjutores censeantur, *c. Per Venerabilem 13. §. Sunt autem Qui fil. legit. &c.* & demum cum Papa judicent omnes: ipsi verò à nemine, præterquam à Papa & collegis suis judicentur, *Panormit. in c. Bone 3. de Postul. n. 7. & Jacobat. de Conciliis cap. & art. 1. à n. 118.*

17. Inter ipsos autem Cardinales Episcopi, quos inter eminet & Papam immediatè sequitur Hostiensis, huic suo unitum habens Episcopatum Veliternum: cui cæteris Episcopis Cardinalibus honoratior locum deferendi ratio fuit; quòd

consecrat Papam, Imperatorem innugat, & Pallio in Urbe solus utatur, *Campeg. de Concil. cap. 15. n. 2. & Cardinalium Collegii sit Decanus, Card. de Luca de Lat. Curia disc. 5. n. 29.* Hostiensem Portuens, Præneltinus, Sabiniensis, Tusculanus & Albanus Episcopi: hos Presbyterorum, & istos sequitur Ordo Cardinalium Diaconorum, secundum ordinem Antiquitatis & cum facultate optandi vacantem Episcopatum vel Titulum Superiorem; ut qui Ordinem Episcopatum prior obtinuit, anteriorem Episcopatum vacantem suò relicto: & primus in ordine Presbyterorum, Episcopalem: primus in Ordine Diaconorum, Presbyteralem Titulum vacantem in proximo Cassistorio, si præsens sit, optare & titulum meliorare possit cum præterea saltus, occupandò locum v.g. inter Presbyteros, qui ad istorū ordinem transfundere competeret, si suæ promotionis in illo ordine illo fuisset constitutus, *Luca de disc. 5. n. 29. & 31.*

Secundus ab eadè suprema Dignitate locus, sed non eodè semper ordine in Ecclesiâ competit quatuor, majoribus Patriarchis primò enim Alexandrinus, Antiochenus præcedebat, *can. Sacrosancta 2. 7. Secunda dist. 22.* quòd, licet ista Sedes à B. Petro ipsometus illa verò istius nomine à B. Marco Evangelista instituta & consecrata fuerit, Præfectura tamen Alexandrina præ Syria, quæ Antiochiæ jura dabat, emineret, & Augustalis à nomine suo dicta fuerit à Imperatore Augusto, *Rubr. C. ten. ff. de Offic. pref. Augustal.* cujus prærogative intuitu sedem Patriarchalem Alexandrinam Antiochenæ prælatam pertinebat Bellarmionius ad annum Christi 39. & Bellarmionus *Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 24.* Postea Alexandrinam Antiochenæ cessante & huic illi prælatam videri potest, *can. 1. pr. 10. Sicut Romanus Antiochenus & Alexandrinus, dist.*

nus, *disp. 21.* Verùm, quia textus iste in Decretum à Gratiano translatus est ex Isidoro *Lib. 7. Etymolog. cap. 12.* & inter Sedes illas Ordinis mutatio aliò Jure prodita non reperitur, *can. 1. cit. pr.* relati ordinis ratio habenda non est. Demum utrique illi Patriarchæ Constantinopolitanae, ex ratione *n. 14.* allegata, prælati- tus est in Concilio Constantinopolitano *1. can. 5.* relati *can. Constantinopolitana cit.* eisque accessit Hierosolymitanus, Patriarchalis præminentia honore ornatus à PP. Concilii Niceni *can. 7.* ut etiam habetur *can. Renovantes 6. can. fin. disp. 22. c. Antiqua 23. de Privileg. cit.* Jacobat. à *n. 97.* Boërius *p. 1. n. 13.* Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 6. à n. 17.* & Gonzalez in *c. Antiqua cit. à n. 4.*

Tertium ab eadem locum obtinent Patriarchæ Minores & Primates, habitâ ratione specialium privilegiorum, ipsis competentium ratione suarum Ecclesiarum; & his non extantibus, Ordinis, quò promoti sive ad dignitates illas sunt eve- cti, *arg. c. 1. cit.* Jacobat. *num. 262.* & Campeg. *cap. 15. n. 6.*

20. Quartum Archiepiscopi sive Metro- politani: & his proximum Episcopi, ha- bitâ ratione, non tam Provinciae vel Dio- cesis, quam suæ promotionis vel conse- crationis ita; ut qui priùs ad Metropli- tanam sedem evectus, aut Episcopus est consecratus, postea evectos & consecra- tos antecedit, *c. fin. disp. 17.* ubi Barbosa *num. 1.*

21. Quintò & ab Episcopis proximò lo- cò in Ecclesia & Conciliis generalibus ve- niunt Abbates Conventuum Regularium, in his præminentiam, jurisdictionem, ad- ministrationem & usum Mitræ ac Baculi obtinentes, Panormit. in *c. Ex ore 17. de Privileg. n. 3.* & Campeg. *cit. cap. 15. n. 17.* id desumentes ex *can. Si quis deim- cept 16. q. 7. c. 1. de Etat. & qual. c. fin.*

de Offic. deleg. in 6. & aurb. Habita cit. quibus textibus Abbates immediatè vel subjiuntur Episcopo, vel Prælati istò inferioribus anteponuntur. Inter ipsos autem Abbates aliis ferè præponuntur, quorum Regula à sede Apostolica priùs fuit approbata: & inter ejusdem Regu- læ sive Ordinis, qui ad Abbatialem di- gnitatem ante alios fuit promotus, *arg. l. 1. ff. de Albo scribendo,* Tamburinus *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 24. q. 3. n. 4.* Posthujusmodi Abbates in iisdem locis datur Generalibus Ordinum Religio- rum, qui non sunt Abbates: & post hos cæteris, qui secundum formam juramen- ti, in sua ad dignitatem promotione præ- stiti, ad Synodum venire tenentur: & demum Magistris in Theologia & Juris Canonici Doctoribus, *cit. Jacobat. art. 6. n. 4.* & Campeg. *cap. 17. n. 19.*

Post Episcopos ex clero seculari pri- mum locum juxta Ordinem suæ institu- tionis aliqui adstrunt quibusdam Offi- cialibus Curia Romanæ. Quibus tamen ad Concilium vocatis alii sessionem ex- traordinariam, aut eò ordine tribuen- dam volunt, quò in Capella Pontificia so- lent confidere, *cit. Campeg. n. 23.*

In Diocæsi- bus post Episcopum ho- noratiorem locum aliqui Vicario ejus ge- nerali: alii Abbatibus & Præpositis Col- legium vel Conventum, cui cum juris- dictione Ordinaria præsentibus: alii Canonicis Cathedralibus, & rursum alii Protonotariis Apostolicis competere volunt. Quorum inter se pugnantes sententias alii in concordiam reducere co- nantur auxiliò tergeminae distinctionis.

Primam faciunt inter Canonicos *23.* singulos & collegialiter incedentes: quæ ipsos ex una, ex altera verò parte, Abbates Præpositos & Vicarium Generalem spe- ctat; quantumvis enim illis collegialiter incedentibus & in omnib⁹ actibus, in qui-
bus Ec-

Tt tt 3

bus Ecclesiam Cathedralem repræsentant, præcedentiam præ istis & merito adstruat Felinus in c. *Meminimus* 13. de *Accusat.* n. 6. quod Ecclesia illa cæteris dignior; & propterea, qui eam repræsentant, præ omnibus aliis honorandi sint, arg. c. *Quamvis* 38. de *Præbend.* in 6. istis tamen, & imprimis quidem Abbatibus & similibus Præpositis honoratiorem locum Canonici de Jure cedunt, quando incedunt singuli & Cathedralem Ecclesiam non repræsentant, ut cum Felino cit. n. 6. Panormit. in c. *Cum non liceat* 12. de *Præscript.* & aliis adstruit cit. Tamburinus disp. 25. q. 2. an. 9. quod Abbatialis dignitatibus Episcopali inferioribus omnibus major à Jure habeatur, can. *Si quis deinceps* & aliis *textibus cit.* Deinde etiam Vicario generali, ut cum eodem Felino in *Rubric.* hic num. 10. docent Tuschus *Prætic.* V. *Vicarius conclus.* 482. n. 21. quod Episcopi personam repræsentet & in ipso istius Tribunali exerceat jurisdictionem, c. *Non putamus* 2. de *Consuet.* in 6. c. *Romana* 3. pr. de *Appellat.* in 6.

24. Sede Episcopali vacante Capituli Vicarius, sicut cæteros Canonicos de Jure antecedit, sic primum locum de Jure cedit ab Episcopali primam Dignitatem obtinenti, sive is Præpositus, sive Archidiaconus, sive Decanus aut alio nomine vocetur, Sbrozzius de *Vicar. Episc.* lib. 2. q. 25. n. 20. & Barbosa de *Offic. Episc.* alleg. 54. n. 167. Ratio est; quia Vicarius generalis, vacante sede, eodem modo se ad Capitulum habet, quod, illâ plenâ, ad Episcopum: & propterea æquum est; ut, sicut plenâ, Episcopo, sic vacante sede, Capitulo congregato, & ex ejus non congregati membris, saltem præcipuam dignitatem obtinenti, & Capitulum quodammodo repræsentanti cedat locum honoratiorem.

Dixi, de Jure; quia de Consuetudine, cui in proposita præcedentiæ materia

Jus plurimum defert, Baldus in c. *Cum olim* 6. de *Consuetud.* à n. 1. & Felinus in c. *Statuimus* 15. hic n. 1. alicubi Abbatibus honoratiorem locum sibi vendicant Ecclesiæ Cathedralis Præpositus et Decanus: & in multis Germania nostræ Ecclesiis Vicarius Generalis extra tribunal suum v.g. in Ecclesia, Processionibus, & aliis congressibus sequitur eosdem, & in nonnullis canonicos Cathedrales, quando de eorum numero non est, vitans. Quam Consuetudinem reprobat, præquam difficile visum est Laimanno in c. *de Offic. Archidiacon.* n. 4. præsertim, cum diversarum causarum & locorum consideratione eadem persona anteferi illis possit & postponi, l. 1. c. *de Offic. Vicar.* & c. *Ad hæc* 7. de *Offic. Archidiacon.* hic iste in quibusdam post Episcopum, ac proinde etiam Vicario, major vocatur, quantumvis, sicut in cæteros clericos, sic etiam in Archidiaconum ipse pro tribunali sedens exerceat jurisdictionem.

Altera inter Abbates ac Præpositos Exemptos & non Exemptos, ex una parte, & Vicariū generalē ex altera parte, præstat licet enim isti honoratiorem locum cedunt non Exemptis; quod, sicut Episcopalis dignitatem ei, quam Vicarius exerceat, jurisdictioni subiciantur: ei tamen Abbates & his similes præpositos saltem Exemptos anteponendos, non, obscure tradatur in *Conventionali Episc.* cap. 23. ex cujus præcepto post Abbates primum thurificatio fit, cetera est Vicario generali. Ratio est; quod, licet iste ad totam diocesin se extendat; ac proinde multo ampliore quam Abbates jurisdictionem habeat, et tamen non, ut Abbatum, perpetua sit, cum ab Episcopo amoveri omnino liberè possit: & non, ut ab Abbatibus, præcipuo sed alieno, scilicet Episcopi eum constituantis, jure exerceatur, Zecchi de *Republ. Eccles.* cap. 29. & cit. Tamburinus q. 4. n. 3. Tertia

26. Tertia inter Protonotarios Apostolicos: quorum aliqui Participantes, alii non-Participantes vocantur. Priorum olim septem duntaxat à S. Clementis: postea verò, & à Sixti V. Pontificatu primum, duodecim instituti sunt: & olim quidem ad perquirenda & conscribenda SS. Martyrum gesta: cum tempore verò, & hodie præsertim, ad Bullas Ecclesiarum ac Monasteriorum in Curia expediendas sunt deputati: qui, sicut Doctores & Notarios publicos creandi, spurios legitimandi & similibus privilegiis, sic etiam præcedentiæ, olim aliquando ante ipsos Archi- & Episcopos, teste *cit. Jacobatio art. 5. n. 4.* hodie istis proximæ gaudent prærogativâ, Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 23. à n. 7.* Posteriores sive non-Participantes &, ut etiam vocantur, Honorarii ac Titulares Protonotarii, propter invalescentem eorum numerum cum tempore non parùm evilerunt; ut hodie iis tantùm clericis Secularibus, qui Prælaturâ aut dignitatem non obtinent, præferantur & minoribus, quàm Participantes, gaudeant prærogativis, Barbosa *l. cit. à n. 15. & 34.*

27. In ipsâ Ecclesiâ Cathedrali, licet de Jure post Episcopum primus Archidiacono, & huic proximus locus Archipresbytero sive Decano, tanquam Vicariis Episcopi Natis, competat: Consuetudo tamen in multis Ecclesiis alia est: & in Germania nostra Archidiaconum passim præcedunt Præpositus & Decanus: quos Archidiaconus & cæteri Canonici, ferè antiquitatis ordine servatò, sequuntur. Cathedrales autem immediatè & eodem ferè Ordine excipiunt Canonici Ecclesiarum Collegiatarum: quos Rectores curati, Plebani & Ecclesiarum Parochialium presbyteri sequuntur, *cit. Boërius p. 1. n. 23 & 24. & Barbosa cap. 19. à n. 65.* quorum prior à n. 25. posterior

de *Offic. Episc. alleg. 78. à n. 27.* & Tamburinus *cit. disp. 25. tota* plura dabunt de præcedentiis clericorum, Congregationum Regularium & Confraternitatum: de quibus hòc locò non præmittendum est

Dubium, quis judex sit controversiarum, quæ inter eas non rarò, & aliquando cum magna populi offensione moventur de præcedentiâ, sive honorarii loco in deductionibus funerum, processionibus publicis &c. earum enim, saltem inter Confraternitates laicorum exortarum, cognitionem Seculari judici adstruit Carolus de Grassis *de Effect. Cleric. eff. 1. n. 613.* Alii contrà eam soli Ecclesiastico competere indistinctè volunt, apud Salgado *de Regia protect. p. 2. cap. 9. à n. 1.* Ego, mediam viam tenendam, & utrique Opinioni aliquid tribuendum, existimo.

Et primò quidem, ejusmodi controversias inter personas, conventus & alias communitates Ecclesiasticas, etiam exemptas, atque etiam inter Confraternitates laicorum, in ipsis funerum deductionibus & publicis processionibus ortas, ad sedandas rixas, tumultum & scandala evitanda componere, ad Episcopum spectat, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 13. de Regular.* Ratio est; quia ejusmodi deductiones & processiones sunt actiones spirituales & ad finem supernaturalem ex sua institutione ordinatæ, Navarrus *Consil. 3. de Foro compet. n. 6.* de actionibus autem spiritualibus cognoscere & pronuntiare: utque eæ cum Christiani populi ædificatione, debitò modò & ordine, sine tumultu & scandalo peragantur, Ecclesiasticæ, non Secularis est potestatis, *can. 1. disp. 96. c. Decernimus 2. de Judiciis &c.* Cui compositioni licet, quòd amicabile & extrajudicialis sit: & præjudicium, quod assert, institutò, non solùm Petitorio, sed etiam Posses-

Possefforiò ordinariò reparari facile queat, fieri possit: & quia res dilationem non patitur, ferè soleat, *Appellatione*, quoad effectum suspensivum, *remotà*) summa tamen aliqua cognitio sive informatio extrajudicialis ab Episcopo præmittenda, & præcedentia attribuenda imprimis est Ordini, cui favet loci Consuetudo, *arg. c. Cum olim 6. de Consuet. Baldus in c. cit. à n. 1.* dein ei, qui est in possessione etiam per unicum actum acquisita: & demum ei, qui antiquior est in loco, juxta *Constitutionem* Gregorii XIII. quæ incipit *Exposuit* editam 15. Jul. 1583. Si verò hujusmodi Consuetudo, quasi possessio & antiquitas de præcedentia certantium partium neutri magis favere videantur, Ordo vel Confraternitas dignior, fundatione antiquior aut aliàs magis privilegiatus erit præferendus, *citt. Salgado à n. 18. Barbosa alleg. 78. à n. 27. & Frances de Eccles. Cathed. cap. 25. à n. 376.*

29. Secundo, si inter eosdem orta controversia, institutò processu in iudicium deducatur, in Petitorio, sive cum de ipso præcedendi jure quæstio est, uti etiam in Possessorio adipiscendæ possessionis & quotiescunque Juris quæstio immiscetur, aut reus super ea conventus persona Ordo, congregatio, vel alia communitas Ecclesiastica est, de ea cognoscere ac pronuntiare iudex tantum Ecclesiasticus potest; quia jurisdictionem posteriori etiam in reo, qui convenitur & forum Ecclesiasticum sortitur: prioribus autem casibus saltem in causa fundatam habet; quòd, ut dictum, propositæ deductiones & processiones easque instituendi modus & ordo, aliquid spirituale, aut huic annexum aut ad spirituale præparatorium sint; de spirituali autem & huic annexo, *juxta can. 1. C. c. Decernimus citt. &* de ejus

preparatoriis etiam cognoscere ad iudicem Ecclesiasticum spectet; quia præparatorium ad actionem & ista ad eundem hinc referuntur: & qui est præparatus, etiam iudex sit præparatorii sive preparantis, per tradita à Baldo in *l. Ordinarius 19. C. de R. V. à n. 2.*

Tertio, si iudiciò Possessorio de præcedentia quasi possessione retinenda vel recuperanda periona vel communitas secularis conveniatur, de controversia cognoscere & pronuntiare etiam potest Secularem posse, apud *citt. Frances n. 179. plures defendunt & sustinet Barbosa cit. alleg. 78. n. 42.* quia hujusmodi cognitio ferè versatur circa factum, scilicet cum quibus præcedentia quasi possessio accipitur, retinetur, turbatur vel amittitur, qui, cum aliquid merè temporale in actu appareat, cur ejusmodi Possessorio præcedenti reus laicus conveniri nequeat, coram iudice seculari. Atque hæc causa fuit, cur non ita pridem, cum hujusmodi Consules & alii Officiales: imò etiam Consularii quidam Electorales in B. Virginia Speciosa, sive Academici temporè carni subsellia, Academiæ Rectori, illustribus personis eam frequentantibus, Professoribus & clero competenti, occupare inciperent & amicabiliter moniti non obnerent, causa ad Serenissimum Electorem Principem ac Dominum nostrum delata: à Clementissimò istius decretò illi à dictis subsellis depulsi, & Academia in speculis illius & aliis laicis non competenti prærogativæ quasi possessione sola licenti conservata.

Casu etiam, quò persona secularis aut earum communitates de præcedentia non ex alicujus Confraternitatis prærogativa in Ecclesia, aut fundationis, constitutionis vel alio Ecclesiastico titulo, sed ratione nobilitatis, dignitatis aut alterius

muneris publici vel causa merè temporalis sibi competente, contendunt: licet de ea in Ecclesia vel Supplicatione exortam litem, ad tumultum & scandala evitanda componere Episcopus valeat, arg. cap. 13. cit. de ea tamen, tam in Petitorio quam Possessorio, cognitio definitioque judicialis competit judici Seculari; cum ejusmodi precedentia jus neque Spirituale neque huic, nisi merè per accidens, sit conjunctum.

33. Ratione Jurisdictionis Majoribus debetur Obedientia: quæ Rubricæ hujus pars altera est, & exigit in primis, ut ei, cui debetur, exhibeatur reverentia: deinde, ut justa ejus mandata excipiantur & observentur: demum, ut ei in judicio pareatur: nisi subditus ab hoc per interpositam appellationem vel recusationem absolvetur, vel ei controversia ab ipso superiore moveatur, Glossa in can. 1. V. Obedientiam dist. 93. Hostiens. in Summa hic n. 2.

Debentur autem his modis Obedientia Majoribus vel Maximè ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut sunt summus Pontifex, ab eoque Ecclesiis & fidelibus regendis pascendisque præpositi Prælati inferiores: quibus ea non à clericis & aliis personis Ecclesiasticis duntaxat, sed à laicis quoque ipsis, & ab istorum Principibus ac Magistratibus, quoad spiritualia, sive ea, quæ ad cultum Divinum & animarum salutem spectant, exhibenda est, c. Si quis 2. c. Omnes 4. & c. Solita 6. ubi quoad ista Regalis & Imperatoria majestas summo Pontifici subiecta dicitur à Christo, B. Petro istiusque successoribus Pastorem curam & fidelium regimen generaliter, sine distinctione vel exceptione, committente verbis: Quæcumque ligaveris super terram &c. Matth. cap. 16. v. 18. & Pæce oves meas Joan. cap. 21. v. 17.



TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Ratio Ordinis. | 9. Etiam bellò jam captò, offeratur. |
| 2. Etymon & natura Belli, | 10. Verè justum ex utraque parte esse nequit. |
| 3. Defensivi & Offensivi: | 11. In justo licita sunt, necessaria ad Victoriàm. |
| 4. Quorum utrumque licitum est, | 12. Illicita autem, I. Amuletta Magica. |
| 5. Si legitimè auctoritate, | 13. II. Venenatio armorum, ammona, somium: |
| 6. Ex justa causa, | 14. Non etiam insidia & stratagemata. |
| 7. Et recta intentione suscipiatur. | Uu uu |
| 8. Geri nequit, si ab adversa parte comperens satisfactio, | 15. III. |